



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 4. Sponsalia clandestina valida sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

abſtinentiã à Communionẽ olim puniebantur. Et cap. *ex litteris* extr. de ſponſalibus & matrim. Cùm quidam jurallet ſe ducturum filiam alterius, conſentiente patre, & nihilominus cum altera matrimonium contrahere vellet, Alexander III. ſic reſcripſit: *quia prædicto viro periculoſum eſt, contra ſuum juramentum venire; Fraternitati tuæ mandamus, quatenus eum Eccleſiaſtica cenſurã compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſiſerit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* Capite verò reſcripti eod. tit. de muliere, quæ juraverat ſe Titio nupturam, poſtea tamen id exequi recuſabat, Lucius III. dixit: *cùm libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potius quàm cogenda: cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequentius habere.*

9 Quamobrem etſi acriùs compellendi ſint, qui fidem juratam ſervare detrectant (cùm illi etiam ad eam ſervandam urgendi ſint, qui fidem ſine juramento dederunt) ſatagere tamen debet Jdex, ut volentes ex nolentibus fiant. Et ſi ſponſorum alter in negando conſenſu adhuc poſt centuram pertinax ſit, atque implacabiles inimicitias, vel lites ex nuptiis inter ipſos probabiliter timeantur, levius malum tolerandum eſt, ad gravius averſendum; ideòque potius tolerandum ut fides data violeſcit, quàm per matrimonium omninò coactum implacabilibus inimicitias, ſcandalis & litibus inter duas familias occaſio detur.

10 Porro variis modis ſponſalia contrahuntur, ſcilicet re, verbis, litteris, conſenſu. Re, per nudam ſubarrhationem, vel annuli immiſſionem. Verbis, ſi inter virum & mulierem verbalis promiſſio intervenierit. Litteris, cùm abſentes de futuris nuptiis inter ſe per epistolam, nuntium, vel procuratorem paciſcantur. Conſenſu, cùm pubes, & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus malitia non ſupplet ætatem, matrimonium per verba de præſenti contrahunt. Juris enim interpretatione conſenſus ille vim habet ſponſaliorum, cùm ob præſentem ipſorum incapacitatem habere nequeat vim matrimonii de præſenti, cap. *ſi infantes* de deſponſat. impuber. in 6.

11 Paulo aliter S. Thomas a 1. citato: promiſſio futuri matrimonii fit dupliciter, ſcilicet abſolutè, & ſub conditione. Abſolutè, quatuor modis. 1. nuda promiſſione, ut cùm dicitur, accipiam te in meam; & è contrario. 2. data arbitri ſponſalitiis, ut pecunia, vel ejuſmodi. 3. annuli ſubarrhatione. 4. interveniente juramento. Si autem fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtinguendum eſt. Quia aut eſt conditio honeſta, cùm dicitur, accipiam te, ſi parentibus placeat. Et tunc, ſtante conditione, ſtat promiſſio; & non ſtante, non ſtat. Aut eſt inhoneſta. Et hoc dupliciter: quia aut eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam: accipiam te, ſi venena ſterilitatis procuret; & tunc non contrahuntur ſponſalia. Aut non eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam: accipiam te, ſi furſis meis conſentias; & tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio.

12 Contrahuntur etiam ſponſalia, vel conſenſu expreſſo, vel tacito, ut ſi dum parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus ea contrahunt, ipſi præſentes non contradicant, obligantur (ait Pontifex cap. unico de deſponſat. impuber. in 6.) & ex eis oriuntur juſſitia publicæ honeſtatis. Et idem eſt, ſi hoc parentes fecerint in abſentia ipſorum, & ipſi poſtea hoc recitantes non contradixerint.

CAPUT II.

Ætas ad ſponſalia requiſita.

13 Licet jure nature nulla certa ætas requiratur ad valorem ſponſalium, ſed rationis utuſ ſufficiat; jure tamen poſitivo ad eorum valorem requiritur ſepenniũ completum, cap. *litteras*, &

cap. *acceſſit* de deſponſat. impuber. ita ut ex illis citius non contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis, uti declaratur ibidem. Impuberes quidem ab initis ante pubertatem ſponſalibus reſilire poſſunt adepti pubertate, ſed non antepubertatem, quæ in mafculis incipere ſolet completo anno decimo quarto; in feminis, completo anno duodecimo. Nec eorum alter, pubertatem adeptus, reſilire poteſt ante pubertatem alterius: quam poſteaquàm uterque atigerit, ambobus permittitur contracta ante pubertatem ſponſalia, etiam alterã parte invitã, revocare, cap. *de illis* tit. eod. Si tamen copula carnalis ante ſolitos pubertatis annos intervenerit, reſilire non poſſunt, cap. *à nobis* eod.

CAPUT III.

Tempus adimplendi ſponſalia.

14 Si tempus matrimonii contrahendi in contractu ſponſalitiõ determinatum fuerit, per ſe loquendo illud eſt ſervandum. Si nullum tempus fuerit præfixum, ad illud contrahendum teneret quis primo tempore opportuno, parte petente. Qui renuerit, cenſetur eſſe in mora. Quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur, & ſolvi debet, ſi petatur, reg. Juris 14. ff. de reg. Jur. Excipe niſi actiſ julia cauſa differendi. Utenim dicitur L. ſæpè ff. de ſponſ. ſæpè juſte ac neceſſarie cauſe, non ſolum annum, vel biennium, ſed etiam triennium & quadriennium trahunt ſponſalia, aut valetudo ſponſi, ſponſe, vel mores parentum. Non teneret tamen debitor, niſi requiſitus. L. debitoris præſentes C. de pignorib.

CAPUT IV.

Sponſalia clandestina vailda ſunt.

15 Valida quippe fuerunt ante Tridentinum. Ergo valida quoque ſunt poſt Tridentinum: ut pote quod circa ſponſalia nihil innovavit; ſed circa matrimonium dumtaxat. An autem licita ſint? Sunt utique, ſpectato jure communi. Quia nullo jure communi prohibentur. Spectato tamen jure particulari variarum Dioceſeon, graviter peccare eos, qui ſponſalia clandestina, ſine præſentia ſcilicet Sacerdotis & teſtium, & ſine ritu ab Eccleſia præſcripto contrahunt, docet Natalis Alexander Th. Dogm. & Mor. to 6. l. 2. c. 3. reg. 21. Quia ſponſalia in facie Eccleſie celebrati Rituaalia (inquit) omnia jubent, eorumque ritum præſcribunt. Eaque celebranda eſſe in loco ſacro, & non alibi (ſine licentia Ordinarj) coram Parocho, vel ejuſ Vicario, & duobus teſtibus, ſta- tuunt Synodus Senonenſis anni 1524. Carpo- tenſis anni 1536. Synodus prima Cameracenſis, & Concilium Remenſe anni 1583. Quæ utinam in viridi eſſent obſervantia! Sponſa enim ſæpè conqueruntur de fide ſibi non ſervata, etiam poſt conceſſam ſui hæc conditione copiam; ſed ideò fruſtrã conqueruntur, quia per teſtes probare nequeunt eſſe datam. Sponſalia etiam clandestina non raro contrahuntur ſub formulis controverſis (cui inconveniẽti mederetur præſentia Parochi, à quo ſuggereretur formula circa controverſiam ſignificans vera ſponſalia.) Denique ſponſalia clandestina ſæpè contrahuntur ex levitate juvenili, ſine matura conſultatione, quam meretur negotium tanti momenti, ſæpè etiam cum conditionibus turpibus, v. g. ſi puella concedat ſui copiam, &c. Ad quæ inconveniẽntia vitanda, optanda foret obſervantia Statutorum illorum Synodalium, quorum obſervantia urgenda eſt in locis, ubi Statuta illa facta ſunt.